



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

43. Ex injuncto Nobis &c. Confirmatio Decreti Congregationis Sacrorum
Rituum edicti super sententia lata Anno 1647. à bon. me. Cardinale
Francisco Maria Macchiavello tunc Episcopo Ferrariensi, qua ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

CONFIRMATIO

XLIII.

Decreti Congregationis Sacrorum Rituum editi super Sententia lata Anno MDCXLVII. à bon. me. Cardinale Francisco Maria Macchiavello tunc Episcopo Ferrariensi, qua declaratum fuerat constituisse, & constare de cultu immemorabili Beatæ Lucie de Narnia exhibito, ac propterea non esse contraventum Decretis fel. rec. Urbani PP. VIII.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proximum.

EX inuncto Nobis divinitus Pastoralis sollicitudinis munere Beatarum Christi Ancillarum in Cælis cum eo regnantium, in quibus, utpote vasculis imbecillioribus opus dexterae excellenti mirabilius, ac illustrius apparuit, quæque non humanum, sed divini Spiritus infusione depromptum Apostolicum consilium secuta, cogitarunt quæ sunt Domini, ut essent Sanctæ Corpore, & Spiritu, venerationem, & cultum libenter in terris promovemus, sicut pia Personarum non minus virtutum meritis, quam sublimi Cardinalatus dignitate fulgentium vota postulant, & Nos ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiæ decus, spiritualemque fidelium populorum, præsertim nostrorum, & Apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditorum ædificationem, ac devotionem fovendam, atque augendam conducibile fore in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque aliis, videlicet die XIX. Januarii MDCLIV., ad humillimas, ac repetitas preces, & instantias tunc existentium Magistratum Civitatum nostrarum Ferrariensium, Viterbiensium, & Narniensium, necnon tunc etiam existentis Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum nomine ejusdem Ordinis facta relatione in Congregatione tunc pariter existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum coram fel. rec. Innocentio PP. X. Prædecessore nostro habitâ à bon. mem. Baccio, dum vixit, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Card. Aldobrandino nuncupato de contentis in duobus processibus auctoritate ordinaria confectis per similes me. Franciscum Mariam, etiam dum vixit, dictæ S. R. E. Cardinalem Macchiavellum nuncupatum, tunc Ecclesiæ Ferrariensium ex concessione, & dispensatione Apostolica Præfulem: primo nimirum Anno MDCXLVII. super cultu, scientibus, & tolerantibus Ordinariis, ab immemorabili tempore exhibitæ Beatæ Lucie de Narnia Moniali Ordinis S. Dominici, quæ feliciter obdormiverat in Domino die XV. Novembris MDXLIV. & casu excepto à decretis rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter nostri in Congregatione Sanctæ Inquisitionis editis, cujus vigore idem Franciscus Maria Cardinalis, & Præful per sententiam latam die XIX. Decembris ejusdem Anni MDCXLVII. pronuntiaverat constituisse, & constare de immemorabili cultu dictæ Servæ Dei, & propterea non fuisse, nec esse contraventum decretis Apostolicis supradictis: secundo autem Anno MDCXLVIII. super sanctitate vitæ, virtutibus, & miraculis, cum exhibitione etiam nonnullorum antiquorum documentorum super Stigmatibus, quæ inibi dicuntur impressa in corpore prædictæ Beatæ Lucie; decretum fuerit, signari posse commissionem introductionis hujus Causæ eidem Congregationi Cardinalium directam, ut cognosceret, an ritè, & rectè pronuntiatum fuisset per supradictum Franciscum Mariam Cardinalem, & Præfulem super casu excepto, ex immemorabili.

§. 2. In hujusmodi verò Commissionis executionem subinde à piæ mem. Alexandro Pa

pa VII. etiam Prædecessore nostro signatæ nuper, nempe die XV. Februarii proxime præteriti ad humillimas itidem preces Dilecti Filii nostri Josephi tituli S. Mariæ Transpontinæ ejusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sacripantis nuncupati, etiam nomine Dilectorum Filiorum Communitatis, & hominum dictæ Civitatis nostræ Narniensium, Patriæ suæ porrectas, necnon Dilecti Filii Antonini Cloche Magistri Generalis memorati Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac dilectarum in Christo filiarum Monialium Monasterii Sanctæ Catharinæ de Senis præfatæ Civitatis nostræ Ferrariensium, prout etiam Dilecti Filii Thomæ Ripoll Fratris expressè professi ejusdem Ordinis in Sacra Theologia Magistri cause hujusmodi postulantis in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ipsius S. R. E. Cardinalium eidem Sacris Ritibus præpositorum à Dilecto etiam Filio nostro Thomæ tituli Sancti Clementis dictæ S. R. E. Presbytero Cardinale Ferrario nuncupato in locum memorati Baccii Cardinalis deputato, seu subrogato propositum fuerit dubium, an sententia prædicti Francisci Mariæ Cardinalis, & Præfulis super cultu immemorabili erga præfatam Beatam Luciam præfiteo esset confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur, auditisque desuper tam in voce, quam in scriptis prius quidem quondam Joanne Baptista Bortinio, dum vixit, Fiscii, & Cameræ nostræ Apostolicæ Advocato, atque ad supplendas vices Venerabilis Fratris Prosperi Archiepiscopi Myrensis Promotoris Fidei specialiter deputato: subinde verò Dilecto Filio Prosperi de Lambertinis Aulæ nostræ Consistorialis Advocato, necnon ejusdem Prosperi Archiepiscopi, & Promotoris Coadjutore, ultimo dictæ Congregationis Cardinalium censuerit sententiam præfati Francisci Mariæ Cardinalis, & Præfulis, ut præfertur, latam super cultu immemorabili non esse infirmam in casu, & ad effectum de quo agebatur, si ita Nobis visum fuisset; Hinc est, quod Nos piis, atque enixis ejusdem Josephi Cardinalis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, Decretum ab ultimo dictæ Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, quod scilicet Sententia supradicti Francisci Mariæ Cardinalis, & Præfulis super cultu immemorabili dictæ Beatæ Lucie non sit infirmam, Apostolica auctoritate renore præsentium confirmamus, & approbamus, illicque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjuicimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate ultimodictæ Congregationis Cardinalium.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suorumque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & spectabit in futurum, plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ habetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXV. Martii MDCCX. Pontificatus nostri Anno Decimo.

F. Oliverius.

In ea proponitur dubium, an sententia Card. Macchiavelli sit confirmanda.

Deciditur non esse infirmam.

Pontifex decretum Congregationis confirmat cum solitis clausulis.

Card. Macchiavellus Episc. Ferrariens. processus confecit super cultu, virtutibus, & miraculis B. Lucie de Narnia.

Pronunciavit constare de cultu immemorabili ejusdem.

Causa introducit in Congregatione Sacrorum Rituum.